

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2489

Auteur(s) : Robert Olivier, de Morville [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1274, mai

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Vente par Robert Ollivier de Morville à l'Hôtel-Dieu de Coutances, pour trente sous tournois, d'une rente annuelle de deux boisseaux de froment à Morville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° XC, p. 76-77.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Robertus Oliveri, de parrochia de Morevilla, vendidi, concessi et omnino in perpetuum dimisi priori et fratribus domus Dei Constanciensis, videlicet duos bussellos frumenti annui redditus, ad mensuram dicte ville, quem redditum michi debebat et reddebat annuatim Durandus, filius Ade Durandi, super dimidia acra terre vel eocirca, quam de me tenebat in feodo, sitta in dicta parrochia, apud maram Piqueré, inter viam per quam itur de Morevilla ad molendinum de Stanno et terram Guillermi Le Bret a lateribus, et butat ex uno capite ad terram Durandi Piqueré, et ex alio capite ad terram Guillermi Le Bagris clerici. Habendum, tenendum et percipiendum de cetero in perpetuum, dictis priori et fratribus et eorum successoribus, ad festum Sancti Michaelis annuatim, per manum dicti Durandi et heredum suorum, seu cujuscumque tenentis predictam terram, sine contradictione mei et heredum meorum de cetero facienda ; predicti vero prior et fratres et eorum successores, seu attornatus eorumdem, poterunt de cetero suam plenariam justiciam in dicta terra pro dicto redditu, quocienscumque necesse fuerit, penitus exercere ; et super tribus virgatis terre, de elemosina dicte domus Dei de Constanciis, quas ab eisdem teneo per hommagium et ad justiciam faciendam obligo dictis priori, et fratribus et eorum successoribus, si necesse fuerit, pro predicto redditu ; que quidem terra sitta est in predicta parrochia apud Maubuc, inter terram Guillermi Balan et Roberti de la Noete ab lateribus et buttat ad murum domus Dei predicte et ad terram Ricardi de Haia. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione a me taliter facta, dederunt michi et persolverunt dicti prior et fratres de bonis dicte domus triginta solidos turonensium in pecunia numerata. Et ego predictus Robertus et heredes mei tenemur dictis priori et fratribus et eorum successoribus hec omnia predicta garantizare, deliberare et omnino acquitare ab omnibus versus omnes, salvo jure dominorum capitalium, vel alibi in nostro proprio hereditagio valore ad valorem excambiare competenter, si forte garantizare non possemus. Hec autem universa et singula juravi, tactis sacrosanctis evangeliis, me fideliter servaturum et quod contra de cetero

non veniam ullo modo. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° septuagesimo quarto, mense Maii.